IV. *Relatio de* Caverna vaporifera *Sulphurea in* Lapicidina Pyrmontana, *quæ ſimilis eſt* Foveæ Neapolitanæ *Grotta del Cane* dictæ, *à Dno* Miſſon, *& aliis deſcriptæ, Regali Societati communicata à* Johanne Philippo Seip, *M. D. Conſil. Aulic. & Archiatro Sereniſſ. Principis à* Waldeck, *necnon R. S.* Lond. *Socio.*

LApicidina Pyrmontana 800 Paſſus a Fontibus noſtris Chalybeatis diſtans, ab Annis centum, & quod excurrit, Incolis atque Vicinis ſatis nota eſt, quia Lapides pro Ædificiis valde idonei ex illa effodiuntur.

Ante Annos viginti, cum ipſe in exſtruenda Domo occupatus eſſem, & Lapicidinam ſæpius intrarem, opifices mihi narrabant, frequenter ſe in fovea quadam profundiore Aves mortuas reperire: monſtrabant etiam aliquoties diverſas Avium ſpecies recenter mortuas.

Curioſus Cauſſam Mortis Avium indagans, ſuſpicabar primo de Materia quadam minerali venenoſa Cobalto vel Auripigmento ſimili Lapidibus intermixta, & Aquis pluviæ colliquefacta, ex qua forſan Aves ſitientes potaverint.

Cum autem ipſe in foveam deſcenderem, & ad extrahendas Aves caput ad fundum inclinarem, ſtatim odore ſulphureo penetrantiſſimo ita correptus fui, ut vertiginoſus atque aſthmaticus fuga recedere cogerer.

Myſterium itaque detectum erat, & judicabam inde Halitum iſtum ſulphureum ſuffocantem ejuſdem originis

ginis & naturæ eſſe cum illo, quem in Scatebris Fontium noſtrorum, Cœlo ſereno exiſtente, & Tempore ſicco tranquillo, horis matutinis & veſpertinis obſervamus, ubi ſæpe Volucres appropinquantes ipſo momento ſuffocatæ intereunt, & Anates in Fonte majori pro Balneis uſitato natantes vix momenta aliquot perdurare valent, ſed mox ſuccumbunt.

Equidem non conſultum duxi, ſed periculoſum potius atque damnoſum Experimentum fore Fontibus noſtris Chalybeatis plures ejuſmodi Caminos & Spiracula facere, & ita Halitus ſulphureo-ſpirituoſos ex Cryptis Montium elicere, qui potius ad imbuendas & acuendas Aquas ſubterraneas ſupprimi & retineri debebant.

Ex hac ratione etiam, & ex petitione & monito meo, Princeps Sereniſſimus NOSTER operariis prohiberi juſſit, quo minus profunde ex fundo Lapicidinæ Lapides effodere amplius auderent, & ita vaporibus mineralibus viam & exitum panderent.

Unicum tamen locum, pro Fovea quadrata, ſingulis lateribus ſex pedum, Curioſitatis & forſan Experimenti cauſſa pro Balneo ſicco a Sereniſſimo Principe mihi exorabam, quem ante 12 Annos fornice lapidea muniendum, & janua claudendum curavi.

Parva hæc Caverna muris munita & coarctata tanto minus Aquis noſtris Chalybeatis vires ſulphureo-ſpirituoſas ſubtrahere poteſt, quanto certius eſt, vaporem iſtum non ſemper exſpirare; ſed ſolummodo Cœlo placido, tranquillo & Aëre ſereno exiſtente, ventis orientalibus & borealibus ſiccis non procelloſis, ſed leniter flantibus, item Nebulis & Vaporibus ante Fulgur & Tonitru exſurgentibus.

Halitus etiam Horis matutinis & veſpertinis ſolummodo reperitur; & quemadmodum Sol per diem gradatim aſcendit, ita Vapor deſcendit, & verſus meridiem plane ſub Lapides recedit, & totus evaneſcit; ſub veſperam paulatim redit, & poſt ſolis occaſum copioſiſſime iterum egreditur.

Vapor iſte ſimilis non eſt Nebulis & Vaporibus aquoſis, ſed nunquam viſibilem ſe monſtrat, niſi in Radiis ſolaribus, ubi Motus vaporis tremulus, fulgurans quaſi & per intervalla breviſſima ex Lapidibus exſurgens oculis ſe exhibet.

Ordinarie & ut plurimum Lineam certam Horizontalem ſervare ſolet Halitus, & vix ultra 1. 1 $\frac{1}{2}$. 2 pedes aſcendere & vires ſuas exſerere ſolet. Ideo ſi quis in foveam deſcendat, erecto Corpore in illa commoretur, neque Caput infra Lineam notatam inclinet, odorem non animadvertit, & organa Reſpirationis nullo modo afficiuntur.

Certis tamen Temporibus, præſertim Aëre tranquillo, ſereno & valde ſicco, Fulgure & Tonitru gravido exiſtente, Vapor elevatur, & vires ſuas ſuffocantes exercet ad altitudinem 5,6 Pedum & ultra, quod tamen raro contingit.

Phænomena & Experimenta principaliora ex Halitu hoc minerali prodeuntia, hactenus notavi ſequentia.

1. Cavernam ingreſſus, corpus & caput erectum ſervans, Odore percipit plane nihil; Paucis vero momentis Pedes in fundum collocati incaleſcunt, Halitus per Calceamenta etiam craſſiora mox penetrat, ſenſum

ſenſum ſtimulantem quaſi ab urticis urentibus in Cute excitat, qui ad tibias & femora gradatim ſeſe extendit, & partes inferiores ita calefacit, ut inter ignem verſari credas.

Si per breve Temporis ſpatium ita quietus in fovea perſiſtis, Sudor primo in partibus inferioribus, tandem per totum Corpus ſine ulla moleſtia aut anxietate elicitur copioſiſſime.

2. Illi autem qui Caput ad fundum foveæ inclinant, odorem penetrantiſſimum ſtatim ſentiunt; Reſpiratio ſupprimitur; in Oculis acrimonia uti ab Allio aut Raphano marino percipitur, & Aqua ex illis elicitur; Os & Fauces ſapore ſulphureo implentur, Caput vertigine & ſopore afficitur, ita ut Suffocationem & Lapſum ſubterfugere cogantur.

3. Omnis generis Inſectæ; Muſcæ, Papiliones, Scarabæi, *&c.* vaporem attingentes mox concidunt & moriuntur.

4. Aves minores interdum, ſi halitus valde copioſus eſt, ſub introitu ipſo momento ſuffocantur; ſæpe autem adhuc per aliquot momenta convulſionibus quaſi correptæ volitant, ſaltant, Roſtra aperiunt, anhelant, & Geſticulationes imitantur Animalium, quibus ſub Antlia Aer ſubtrahitur; tandem exſpirant.

Si Tempus bene obſervatur, quando Aves concidunt, & Deliquium pati incipiunt, ſed nondum plane exanimatæ, & tum propere in aërem liberum exportantur, præſertim autem ſi Aqua oribus infundatur, ita paulatim tanquam ex ſomno profundo evigilant, reviviſcunt, & brevi ita ad ſe redeunt, ut perfecte ſanæ & ſalvæ evadant, & ſine ullo vitæ & ſanitatis detrimento vivere pergant.

Ita decies uno die Avem Deliquio tali obdormiſcentem & iterum expergefactam vidi, quam deinde incolumem per longum Tempus ſervavi.

5. Aves majores, & Volatilia domeſtica; Gallinæ, Anates, Anſeres, *&c.* diutius in fovea noſtra vaporifera perdurant, in primis ſi collo longo ſupra Lineam emineant, aut repetitis ſaltibus ſphæram Halitus tranſcendant, & ita per intervalla Aërem liberum reſpirare poſſint; ſi autem Vapor copioſus eſt, aut ſi ad fundum Cavernæ Capite detineantur, tandem eoſdem cum Avibus minoribus patiuntur Manes.

6. Quadrupedia; Canes, feles, oves, *&c.* quo majores & fortiores ſunt, tanto diutius ſuffocationem elidere, tandem ſimili modo uti volatilia ſuccumbere ſolent.

Multo facilius tamen in Aëre libero reſipiſcunt, in primis ſi immergantur, aut Aqua copioſa ſuperfundantur.

7. Ignem, maxime flammam Ignis, Candelas nudas, aut vaſis perlucentibus incluſas, Halitus noſter ſtatim extinguit.

Phænomenum jucundum eſt, ſi fax ex ſtramine colligato confecta incendatur; & ad fundum Cavernæ inclinetur; mox enim flamma extinguitur; ſi iterum ſupra Sphæram Halitus in Aërem liberum elevatur, ſtatim in flammam rurſus erumpit, & ita toties quoties Fax celeriter extingui & inflammari iterum poteſt.

8. Tempore quo Vapor copioſus & fortis eſt, Pulvis pyrius in fundo foveæ inflammari non poteſt.

Scintillæ ex Pyrite aut ſilice Chalybe percuſſa cadunt in Pulverem pyrium, ſed non inflammant.

Anno 1724. cum primo Foveam vaporiferam muris circumducendam, et fornice claudendam curarem, medi-

meditabar mecum quomodo Vaporem tam mirabilem, ſpiritibus noſtris quibuſcumque Chymicis multo ſubtiliorem & penetrabiliorem in ſanitatis humanæ commodum applicare poſſem.

Vaporem enim non inveni arſenicalem, neque corroſivum, uti illum qui ex Sulphure ardente exſurgit, non inhæret, & rodit Pulmones, ſed Aerem & Reſpirationem ſolummodo remoratur & aufert; in Homine tamen non ita ſubito hoc efficit, ut ſpatium recedendi ſatis commodum habere non poſſit.

Sæpiſſime Experimenti cauſſa tam diu uti vaporem ſufferre potui, uſque ad Momentum Deliquii & ſuffocationis in Caverna commoratus fui, ore aperto vaporem hauſi, & tandem ſaltu in Aërem liberum me recepi: Nunquam male inde habui, verum potius pectus & Reſpirationem leviorem ſenſi; interdum Catarrho & Tuſſi affectus congeſtiones & obſtructiones catarrhales ſolvi & diſſipari ex Suffimento iſto animadverti.

Methodus brevior & facilior ſudorem provocandi non eſt ſub cœlo; nam poſt moram aliquot momentorum in fovea halituoſa totum Corpus ſudore diffluere ſolet.

Ruſtici quidam, uti ſæpiſſime nullum Remedii genus deſperati non tentant, aliquoties Cavernam ingreſſi, Pedum Tumores, Rheumatiſmos, Dolores Membrorum arthriticos notabiliter a vapore levatos fuiſſe teſtati ſunt.

Quia autem Halitus interdum Sphæram ſuam ordinariam tranſcendit, & tum nimis fortis & intolerabilis eſt, timui hactenus ne quis incautus aut temerarius moram nimis longam in Caverna faciens ſuc-

cumbere poſſit: malui itaque Experimentum nullum quam per mortes facere.

Pyrmonti apud fontes Chalybeatos die 12° Maii 1736. St. N.

Johan. Philippus Seip,

P. S. Barometra & Thermometra in foveam noſtram vaporantem immiſſa, nullas ſubeunt Mutationes; ſed in ſitu ſuo tanquam in Aere libero perſiſtunt.

V. *A Letter from* John Fuller, *Eſq; Jun. F R. S. to Sir* Hans Sloane, *Bart. Preſ. R. S. &c. concerning the Effects of* Dampier's Powder, *in curing the Bite of a* Mad Dog.

I Imagin'd the Uſe of the *Lychen cinereus terreſtris* with *black Pepper*, had been ſo infallible a Remedy for the Bite of a *Mad-Dog*, that there needed no Proofs of its Virtue: I myſelf have uſed it upon Dogs, and always with Succeſs; and it is ſtrong in my Memory, that ſome Years ago, a *Mad-Dog* or *Cat* (I forget which) had bit ſome Children and the Mother, at *Battle*; the Chirurgeon came over to my Brother, Dr. *Roſe Fuller*, and we all went out in a Snow, with a Broom, and found ſome of it, and mix'd it as the Account of *Dampier* directed. They all took it, as well as a Dog or two that were bit, and none of them had any bad Effects from the Bite.

This